





DE
RATIONE ATQVE CAUSIS
SVDORVM NOCTVRNORVM

~~~~~

7  
1775, 3<sup>a</sup>

ANNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRO  
GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO

D. XXIII. OCTOBR. MDCCLXXV.

PVBLCICE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES ANDREAS IACOBVS SAUR


WERTHEMIO-FRANCVS.

*D. de R. B.*

---

HALAE  
TYPIS I. C. HENDELII.

5)



D E

RATIONE ATQVE CAUSIS  
SVDORVM NOCTVRNORVM.



§. I.

Vita brevis, ars longa! Ita profecto de ista vita quam maxime sentiendum est, quam academicam appellant. Nam, tribus plerumque, vel quatuor annis in Academiis peractis, nos patriam redire ex hac illaue causa vrget necessitas. Nec ego meliorem nactus sum fortunam. Antequam vero hanc Fridericianam relinquerem, summos in ea arte, cui nauauī operam, capeffere honores apud me constitueram; quapropter nunc de eligendo cogitauī argumento pro ea Dissertatione, quam Inauguralem dicere solent. Verum nulla, quam haec, mihi vnquam res tam ardua visa est atque difficilis, cum partim, an vires meae huic illiue materiae elaborandae pares essent, nescirem, partim, quod maximum est, mihi esset in optatis, vt rem, nondum pertritā atque exhaustā, eligerem pertractandā. Quae cum diu mecum reputassem, incidi tandem in istud argumentum, quod agit *de Ratione atque Causis Sudorum Nocturnorum*. Difficile quidem mihi visum elaboratu, placuit tamen prae reliquis, votisque meis exacte respondit, neque minus ab aliis comprobatum est. Facile enim, *Erudite Lector!* concedes, sudores, quos dicunt, nocturnos, ad ea corporis humani phaenomena merito esse referendos, quorum causae maxima ex parte admodum latent: cum

A

per-

permulti non solum in ea versentur opinione, ac si lentas modo atque hecticas febres comitentur, cum tamen alias quoque causas sequantur; sed etiam ne ratio quidem, quam propter illae febres eos efficiunt, satis accurate, ut mihi quidem videtur, definita sit. En igitur, *B. L.*, meum propositum! Sed antequam hac de re sermonem instituerè possim, conducit, quin necesse est, ut de *Sudore eiusque in primis Causis in vniuersum* loquar.

## SECTIO PRIOR.

DE

# SVDORE EIVSQUE CAUSIS IN VNIVERSVM.

§. II.

Ad liquida corporis nostri, etsi ad ea chylus quodammodo pertinet, sanguis in primis atque humores ab isto secreti referuntur. Hi vel *simplices* sunt, vel *compositi* mixtique, atque vel in glandulis secernuntur, vel in vasis, vel per poros. Simplicium *Illustris* HALLEKVS, a) cuius in hac re vestigia multi praeclari Viri persecuti sunt, genera proposuit quatuor: *aquosorum, mucosorum, gelatinosorum, oleosorum*; ex his vero compositorum tot dari genera, quot generum humorum simplicium mixtiones in secretis corporis nostri liquidis reperiuntur, facile perspicitur. Noli vero putare, *Caudide Lector! Illustrum* HALLERVM vna cum clarissimis istis, qui dictam diuisionem adoptarunt, Viris, in ea versari opinione, ac si secreti, quos vocant simplices, humores istud nomen omni ex parte mereantur; habeas Tibi potius persuasum, *Illum cum hisdem* horum multos, quin plerosque, tanquam mistos atque compositos considerasse, et cuique modo humori a praecipuo suo

a) *Elem. Physiol. C. H. T. II.* pag. 366.

fuo elemento nomen classicum impofuisse. <sup>b)</sup> Quorum simplicium, eorumque aquosorum, in numero nos merito illud liquidum habendum putamus, quod cutis excernit, atque *perspirabile* audit *Sanctorianum*. Cuius excretio in cute infensibilis *Perspiratio cutanea* (*Sanctoriana*) nuncupatur. Quae, si adeo augetur, vt vel per cutis attactum, sine veris guttulis ibi conspiciendis, cognoscatur, vel paruae quaedam guttulae in cute conspiciantur, *madoris* nomine venit; ita vt totum, perspirationem inter cutaneam atque madorem, discrimen in eo positum sit, vt illa sensibus in cute vsurpari nequeat, hic vero modo tangi possit, modo etiam videri. Si quando vero istud excretum cutaneum guttas maiores format, *sudorem* adesse asserunt. Neque hunc inter ceterosque excretionis cutaneae modos tanta, quanta videri posset, reperitur differentia. Nam, quod ad organum pertinet, omnia, consentiente HALLERO, <sup>c)</sup> nobis suadent, sudorem per eadem vasa excerni, per quae perspiratio exhalabat; quod autem ad ipsam materiem, asserit quidem *Illustris Vir*, <sup>d)</sup> diuersam esse hactenus, quod a perspiratione omne genus olei cutanei sebiq; abfit: quod perspiratio neque flaua, neque oleosa, neque viscida sit &c.; sed patet ex aliis, quae antea <sup>e)</sup> de sudore protulit, iam commemorata sudori non ita tribuenda esse, ac si ab isto abesse non possent. *Sudor enim*, inquit l. c., *sani hominis et nitide se habentis, fere aquosus est, colore minus quam aqua pellucido, neque tamen aliter lintea tingente, quam aqua solet; fluidus idem &c.* Pergit in sequentibus: *varie autem idem sudor mutatur. Frequens est admisceri et sebum, et oleum folliculorum et pororum, quos diximus. Ab illo albet, flauet ab isto &c.* Quibus ex omnibus, si ad essentiam rei spectes, satis luculenter apparet, materiem perspirabilem eamque sudoris essentiali

A 2

in.

<sup>b)</sup> Ibidem eodem loco, pag. 368.

<sup>c)</sup> L. c. T. V. pag. 57. et *prim. Lin. Physiol.* pag. 198.

<sup>d)</sup> *Elem. Physiol.* C. H. Tom. et pag. iamiam cit.

<sup>e)</sup> Ibid. pag. 48.



inter se differentiam nequaquam admittere, vt id potius, quod diuersum haberi possit, inter accidentia referendum sit. Cur vero excretum cutaneum guttas quandoque maiores formet, sudorem, puto, producat, id est, quod nunc commonstrandum erit, cum, de causis sudorum in vniuersum differere, mihi, vt iam indicatum est, in his prioribus Sphis praesertim animus sit. In consideranda quidem perspiratione duo sunt, quae potissimum spectanda veniunt: 1<sup>o</sup> *liquidum, quod perspirare debet, ad vltima vasa cutanea eorumque ostia pulsatum, atque illius qualitates.* Nam, liquido ipso, quod excerni deberet, aut plane deficiente, aut aliorum pulso, aut alienas, excretioni obstantes, dotes nato, vel nulla oboritur excretio, vel saltem non insensibilis. 2<sup>o</sup> *Absorptio illius, quam aër praestat.* Cum perspiratio insensibili ratione contingat, aliquid huius rei causa esse debet. Qui leges norunt physicas, neque istas corporis humani mutationibus applicare ignorant, maximam merito culpam in aërem transferunt, atque nos, nec sine solidis demonstrationibus, docent, singulos, e cute emanantes vapores, statim ea, qua poros ingrediuntur, copia, nullo praesente impedimento, ab aëre auferri; ita vt impedito subtilium humorum coitu, in sensus incurrere nequeant. Quae cum ita sint, duplici omnino ratione excretum cutaneum guttas, easque maiores, formare, adeoque sudor in vniuersum a duabus causis effici poterit. Nimirum 1<sup>o</sup> *quando ipsa liquidi perspirabilis excretio adeo augetur, vt id aër non satis absorbere queat.* Tunc enim singulos vapores, cum ea copia, qua per poros emanant, ab aëre non auferantur, sese colligere atque guttas formare oportet. 2<sup>o</sup> *Quando absorptio ipsa languet, ceteris excretionis momentis vtrunque iisdem manentibus.* Neque huius rei veritas latet, sed, intellectis atque concessis antecedentibus, ex istis satis constat. Nam licet, rebus sic comparatis, ipsa excretio absolutum non capiat incrementum, concedatur tamen necesse est, intuitu absorptionis diminutae, liquidum excretum haud secus, ac priori in casu, in guttas coire debere. Denique vtramque causam, absorptionem puto languentem atque liquidi perspirabilis excretionem descri-  
pta



pta ratione auctam, si iuncta fuerit, sudorem quam maxime effecturam esse, iam per se patet.

§. III.

Perſpectis iſtis, quas ſudorem in vniuerſum producere diximus, cauſis, nobis nunc in eas inquirere liceat, quae magis remotae ſunt, atque ab illis initium facere, quibus praefentibus abſorptio impeditur, aëris ope praeftanda. Impediunt vero eam 1<sup>o</sup> *denegatus aëris acceſſus*. Abſorptio (p. antecedent.) pendet ab aëre. Quicquid igitur ipſius acceſſui obſtat, illud etiam obſtat abſorptioni. Spectat huc vis veſtimentorum. Quae cum potiſſimum eo fine nobis data ſint, vt corpus noſtrum ab aëris iniuriis defendant, corpori noſtro aëris acceſſum plus minus (nempe pro diuerſa materiae, e qua parantur, indole) denegant, adeoque abſorptionem hac ratione impediunt. Neque minus huius loci ſtragula ſunt; quae aëris acceſſui pari modo impedimento eſſe, opus non eſt, vt demonſtremus. Huc etiam loca anguſta atque quaquaueverſum clauſa referri poſſent, cum aëris acceſſui non faueant. — Sed 2<sup>o</sup> in abſorptione, quatenus impeditur, potiſſimum etiam *ad ipſus aëris determinationes* reſpiciendum erit. Sic *aër, qui humidus eſt*, abſorptionem congrue perficere nequit. Nam hac indole praeditus, inſigni aquearum particularum vi iam eſt oppletus; poteritne igitur exhalantes e cutis ſuperficie vapores rite abſorbere? Hinc itaque vna ratio petenda, quare balnea calida ſudores moueant; quoniam nempe vaporibus, quos emittunt, aërem ita replent, vt vltiorem abſorptionem iſte praeftare non poſſit. Neque minus hanc ob cauſam ipſa veſtimenta ſtragulaque ſudoribus producendis apta ſunt. Nam, aëris acceſſum impediendo, aërem, qui ipſa inter atque corpus noſtrum iam intereſt, renouari haud patiuntur, ita vt iſte, vaporibus, quos cutis perſpirat, tandem repletus, abſorptioni non amplius ſufficiat. — Videtur etiam *aër quietus* abſorptionem parciorem reddere, cum, hac conditione praefente, nouus aër partes illius, qui corporis noſtri vaporibus iam reſertus eſt, niſi homo locum mutet, ſuſcipere non poſſit; praetereaque motus aër perſpirabilem materiem,



in cute adhuc resistentem, motu suo propellit; quod vero aër quietus praestare nequit. — Postea 3<sup>o</sup> alia causa, absorptionem impediens, in eo quaerenda est, si, quae ex osculis vasorum cutaneorum exeunt, *particulae solito magis viscosae sunt atque tenaces*. Licet enim eae satis libere, cum calidae sint, ad cuticulam deferantur: attamen in ista facile colliguntur, cum et sua iam tenacitate absorptioni magis resistant, et, frigidioris aëris accessu, maiorem adhuc viscositatem fereque gelatinae consistentiam nanciscantur. — Denique 4<sup>o</sup> *caloris nativi decrementum*, indeque perspirantes particulae frigidiusculae redditae, absorptionem impedire possunt. Calidas enim particulas cum ambiente aëre facilius commisceri, nemo non nouit.

#### §. IV.

Multo magis autem dignae sunt, quae commemorentur, causae sudorum, quae illam, primo loco (§. II.) recensitam, producere valent, excretionem puto liquidi perspirabilis adeo auctam, ut id aër non satis absorbere queat. Quae ut possit prodire: *vel* largior perspirabilis materiae secretio contingere debet, excretionem omnino, reliquis conditionibus iisdem manentibus, intendens, cum omnis liquidi excernendi secretio rationem in se contineat, cur illius excretio contingere possit; *vel* excretio, secretionem etiam non aucta, augeatur necesse est. Haec posterior causa in lipothymia, propter vasorum perspirantium anastomosis, obuolare videtur. Cum enim hoc in casu auctam ad secretionem confugere non liceat, pulsus ob remissionem, extremorum frigus atque pallorem, quae omnia obseruantur, et nobis minimi nunc saltem in extremis sanguinis motus, quin illius inopiae indicio sunt: ex summa, quae tunc adest, debilitate vasorum perspirantium ostia dilatari, ita ut ea plures particulas iam secretas simul emanare sinant, verisimiliter colligimus; forteque simile quid in anxietate et metu obtinet. Illi priori vero causae plures subiectae sunt. Quibus in considerandis et id spectare debemus, a quo secernitur, *sanguinem* scilicet, et *organon, secretionem inseruiens*.

#### §. V.

§. V.

Sanguis, cum ipsi omnes humores secreti natales debeant, ut in hac re plurimum valeat, necesse est. Et primo quidem *qualitas* illius, ad cutim propulsi, attendi meretur. Huius enim, ut in omni secretione, *f*) ita etiam in largiori illa materiae perspirabilis explicanda, ratio maxime habenda est. Cui igitur fauebit *sanguis*

*a*) *tenuis atque aquosus*. Qui tenuis est, illius cunctae partes solito minus inter se cohaerent. Gaudet itaque non solum maiori mobilitate, quam propter, ut ad omnia loca secretoria, ita etiam ad illum liquidi perspirabilis facilius moueri potest, sed, cum omnes illius partes iusto minorem inter se habeant cohaesionis gradum, pars etiam magis aquea citius nunc a reliquis seiungi, largiusque secerni poterit. Cum porro *g*) in sanguine iam omnes humorum classes reperiantur, quas diuersa per cola ab eo separari oportet, atque ideo minime dubium sit, quaecumque sit humoris aliquo in organo secretorio percolati natura, facilius illius separationem intellectum iri, si ad ipsum sanguis veniat, qui quamplurimis eiusmodi particulis plenus sit, quales per id eolum secedere videmus: colligimus inde (§. II.), sanguinem etiam aquosum largiori potissimum materiae perspirabilis secretioni inferuire debere; in primis cum eiusmodi sanguis simul tenuis sit. Quibus ex omnibus multa nunc explicare valemus. Sic sudant saepius homines, qui febribus putridis decumbunt, quia sanguis eorum saepe tenuis est atque resolutus. — Sic sudor erumpit a calidae aquae potu, quia sanguis tunc aqueis particulis repletur. — Neque minus inde vna ratio petenda est, quare, quando *h*) aestas sit veri similis, sudores in febribus multos expectare oporteat. Eiusmodi enim aestas, cum non adeo sicca sit, quam humida, et supprimendo primum transpirationem, et replendo corpus, facta inhalatione, aqueis

par-

*f*) v. HALLER I. c. T. II. pag. 413.

*g*) Idem ibidem.

*h*) HIPPOCR. *Apb.* III. 6.



particulis, sanguinem fluidiorem reddit atque aquosum. Tota igitur humiditas in morborum iudiciis, dum affatim excernitur, sudores multos facit. — Ex fonte etiam aperto, quos calida tempestas inducere solet, sudores quodammodo deduci possunt. Cum enim calor omnia corpora distendat, in nostris quoque humoribus rarefactionem efficere debet. — Sudorem anglicanum aestivo maxime atque autumnali tempore, regnante in primis aëre humido, comparuisse dicunt Autores. Potestne itaque ipsius ortus ex antecedentibus aliquo modo declarari? Ita videtur. Quod si enim ad aërem humidum respicere velis, causam habebis, quare aqua in sanguine retenta auctaque huic morbo producendo inferuire potuit. — Ex dictis etiam cognoscimus, cur perspiratio augeatur post cibum tenuem atque leuem. <sup>i)</sup> Nam cibus huius indolis magis fluidus est et plerumque multum aquae in se continet. In chylum itaque atque sanguinem mutatus, materiae perspirabilis penum auget. — Nec vnde sudores eorum, qui teneritudine laborant, proveniant, nunc nobis obscurum esse potest. Quod si enim perpendamus, quanti solidorum actio aestimanda sit in liquidorum cohaesione, cogitando facile assequi possumus, eiusmodi homines liquida tenuia parare, adeoque (p. anteced.) ad largiorem materiae perspirabilis secretionem proclives esse debere. — Potest denique inde reddi ratio, quare similes, quae in corpore contingere solent, secretiones, si suppressae fuerint, sudores mouere queant. Cum enim, quaecumque sit suppressa secretio, sanguinem nunc iis particulis, quae secerni debuissent, redundare necesse sit: sequitur, illum etiam hoc in casu aqueis particulis abundaturum esse. Plura fereque innumera exempla mitto.

<sup>β)</sup> *Cuius particulae nimis facile secedunt.* Qui cohaesione peccant, humores, quoad omnes tantum partes vel magis, vel minus, quam sanitas postulat, cohaerere plerumque dicuntur. Sed praeter haec alia adhuc vitiatae eorum cohaesionis species a nonnullis <sup>k)</sup> animaduersa est, qua praesent-

<sup>i)</sup> v. HALLER I. C. T. V. pag. 73.

<sup>k)</sup> GAVRII *Inst. Path. med. f. 318.*

sente vnum alterumue selementum cum reliquis adeo laxè cohaeret, vt nimis facile ab iisdem diuellatur. *Nimis* igitur *facilem particularum secessionem* eam appellarunt. Verbis fidenti videri possèt, ac si sanguinem inter tenuem atque, cuius particulae facile nimis secedunt, nullum reperiatur discrimen; sed iis, quae modo, nec non de sanguine tenui dicta sunt, rite perpensis, statim, quanta sit differentia, probe intelligitur. Verum sanguis ita comparatus largiori materiae perspirabilis secretioni omnino fauere debet: fac enim, aqueam portionem cum crassamento laxius iusto cohaerere; aquea pars, vasculis haud rite coercenda atque ad ea cola pulsa, per quae humores aqueos secedere videmus, nunc facilius largiusque secerni poterit. Possunt in primis ex eiusmodi secessione sudores, in febribus inflammatoriis occurrentes, iisdemque symptomatici atque maligni, explicari.

γ) *Qui scatet particulis nociuis, impuris, sero immixtis.* In sanis hominibus vel quouis tempore impuritates nascuntur; quas tamen natura per suetas excretiones, imprimis etiam cutaneam, e corpore expellere molitur. Si sanguis igitur dictis scatet particulis; numne, incitatis inde expultricis naturae viribus, excretio cutanea adaugeri potest? Sed hac de re deinceps plura.

#### §. VI.

Vt qualitas sanguinis, ita etiam illius *quantitas*, quatenus est aucta, hic spectanda venit. Nam *pletthora*, qua excedentem sanguinis quantitatem intelligimus, cum seri aquei abundantiam quoque comprehendat, non potest non, in quantum in se spectatur, secretionem materiae perspirabilis largiorem reddere. Sanguis enim, vt loquuntur Physiologi, ex sero coagulabili, non coagulabili, aqueo aliis, atque cruore constat. Excedente itaque illius quantitate, vt omnium harum partium, ita etiam aqueae partis quantitas excedere debet. Quo maior autem istius in sanguine penus est, eo largius, quae inde pendet, secretiones, si ceterae secretionis conditiones eadem maneant, in definitis organis, adeoque etiam in cute, perficiuntur (§. antec. α.). Neque

vero in hoc vnica sita est ratio, quare plethora secretiones adaugeat; plures enim superfiunt. Fauet scilicet et distensionem vasorum nimiae (§. VIII.), et caloris natiui augmento (§. antec.), et aucto humorum motui (§. VII.). Quae vero cum ita sint, eodem modo sanguinem in cute congestum, auctiori, quam diximus, secretioni inferuire oportet. Nam eiusmodi *congestio* nihil aliud indicat, quam plethoram in cute obortam. Quicquid igitur valet de plethora, quam vniuersalem dicere posses, illud etiam, si copiam sanguinis spectes, de ea particulari valet, quae contingit in cute. Atque id praefertim ex illo sudore cognoscimus, qui in phlogosi conspicitur. Poterit autem, vt videtur, e dictis hic et Sph. anteced. HIPPOCRAT. *Apborism. 41. L. IV.* explicari. *Sudor multus, inquit senex, ex somno factus absque causa manifesta, corpus vti copiosiore cibo significat. Si vero cibum non accipienti hoc accidat: scire oportet, quod euacuatione corpus indigeat.* Nam largior cibus dat largiorem, ceteris paribus, sanguinis copiam, indeque sudor multus erumpere potest. Sudor autem, quo, corpus euacuatione indigere, significatur, de eo intelligi debet, quem particulae nociuae creant ac cruditates.

§. VII.

Restat, habita tam qualitatis, quam quantitatis sanguinis ratione, vt, an et quomodo illius *motus* ad auctam in cute secretionem quidquam conferre possit, adhuc exploremus. Cum ad omnem secretionem sanguinis motus versus loca secretoria requiratur: inde eundem ad eam etiam materiae perspirabilis requiri colligimus. Is vero, vt secretionem, quaecumque demum ea sit, perficiat, ita debet esse comparatus, vt neque sit nimis diminutus, neque etiam nimis auctus, sed illius potius indolis, vt, intra datum quoddam tempus iustoque impetu, certa quaedam sanguinis, particulis fecernendis fatis impraegnata, vnda ad locum perueniat secretorium, ne scilicet aut particulae deficiant fecernendae, aut quaedam nascantur impedimenta, ingressui liquidi fecernendi in vasa secretoria opposita. Quamquam autem

haec


haec ita sunt: attamen sanguinis aut maior velocitas, aut maior impetus, vt ceteras secretiones, sic cutaneam quoque adaugebit, si modo iustus, h. e. eos limites non excedat, quos secretio, ne languescat, postulat. Etenim auctus sanguinis motus congestionem humorum versus cutim (§. anteced.) et vasorum distensionem maiorem (§. VIII.) efficit; praeterea celeritatem liquidi secreti auget, quo fit, vt nouae particulae tanto facilius fecernantur; saepius quoque sanguinem vel attenuat, vel secessui feri a crassamento faciliori fauet (§. V.); denique, cum, aucta velocitate, vna sanguinis vnda alteram statim excipiat, intra datum quoddam tempus plures particulae fecernendae organo secretorio applicantur. Neque haec res exemplis destituitur. Sic, gelidissima etiam hyeme, homines sudant, qui corpus laboribus vehementer exercent; per validum nempe motum muscularem circulationis velocitas augetur. — Atque eandem habet causam sudor eorum, qui insultu epileptico corripuntur. — Pari modo etiam sudor explicandus est, qui in parturientibus euenit; siquidem ob nixum atque auctam respirationem humorum motus intenditur. — Huc quoque criticae materiae per cutim expulso pertinet. Vt quaeuis plerumque, quae critica dicitur, materia, si cruda fuerit, atque nunc expelli debeat, ita etiam ea, quae per cutem expellitur, ante sui expulsiorem sic cautanda est, vt minus noceat aptaque euadat, quo commode expurgari possit; adeoque coctione opus habet. Qua in perficienda natura plerumque febre utitur; quam illius causam esse optimorum Medicorum consensus docet, et obseruata in morbis euincunt. <sup>l)</sup> *Febris*, inquit SYDENHAMVS, <sup>m)</sup> *ipsa naturae instrumentum, quo partes impuras a puris secernat.* Quibus verbis summum Virum ad coctionem respexisse, ex sequentibus apparet, vbi, *materiae febrilis*, ait, *concoctio nihil aliud reuera significat, quam peccantis materiae a sana separationem.* Sed cocta nunc, quo de corpore possit expelli, a reliquis humoribus, secretionis ope, plane semoueri debet;

B 2

id-

<sup>l)</sup> v. SWIETEN Comment. in Aph. BOERH. T. II, pag. 80.

<sup>m)</sup> Oper. medic. T. I. pag. m. 35.



idque febris itidem, potissimum et optime quidem, absoluit: talem enim cocti secretionem per febrim fieri, et, nisi fiat, morbi diuturnitatem metuendam esse, sollicita morborum obseruatione idem SYDENHAMVS \*) didicit. Cum igitur ad eiusmodi materiae criticae expulsionem febris praecipue requiratur, quid opus est, ut vterius in causam, quare sudor inde prouocetur, inquiramus? Ex iis, quae modo dicta sunt, erit etiam explicandum, quare, ut Spho V. γ. dictum fuit, sanguis, particulis scatens nociuis, impuris, sero immixtis, sudoribus faueat. Nam si eiusmodi impuritates critice euacuari debent, non tantum, cum sero immixti sint, per ea etiam organa, quae humores serosos recipiunt, expellentur, sed omnia quoque, quae nunc recensita sunt, praegrediantur necesse erit, igiturque et auctus sanguinis motus; quem vero omnes secretiones largiores reddere posse diximus. — Anne inde quoque, ut alia mittam exempla, aliquatenus explicari poterit, quare post largiorem spirituosorum usum sudores saepe matutini obseruentur? Numne vna ratio inde petenda est, quoniam largior eiusmodi usus sanguinem impurum reddere valet atque acrem, eumque natura nunc criticis euacuationibus purgare molitur? Ita licet iudicare, quamuis alias, quare id a spirituosorum usu contingere potest, rationes excludere plane non vellem. Potestne denique, cur coctionis vitia haud raro efficiant sudores, simili cognosci ratione? Ita profecto! Ad sanguinis modo velis respicere qualitates vitiatas, quibus eiusmodi turbae ansam praebent. Verum has iterum ex longe alia ratione sudoribus fauere posse, negari nequit.

#### §. VIII.

At, quod *organon* nunc spectat *secretorium*, de quo pariter sermonem instituendum esse, Spho IV. iam indicatum est; illius *debilitas* vna e praecipuis largioris materiae perspirabilis secretionis, adeoque etiam sudoris, causis existit. Quae si enim inciderit, ob imminutam vasorum cohaesionem, indeque inductam per fluida transeuntia faciliorem distensionem, eorum ca-

ua,

\*) Ibidem eod. Tom. pag. m. 36.



ua, reliquis conditionibus iisdem manentibus, augeantur necesse est, sicque apta euadunt vasa, vt, ob auctam diametrum, maiorem liquidi fecernendi quantitatem recipere, atque ideo secretionem augere possint. Praeterea sanguis ad congerendum nunc commodam nanciscitur occasionem, cum liquida ad eum locum quam maxime moueri, vbi minima occurrit resistentia, satis notum sit; quid vero sanguis, in cute congestus, ad augendam secretionem conferre valeat, ex antecedentibus (§. VI.) sufficienter intelligitur. Neque in tota hac re experientiam habemus dissentientem, vt ea nostrae potius sententiae maximum robur addat, multaque ex hoc fonte nunc possint perspicue declarari. Sic<sup>o)</sup> iuniores homines, quibus mollis et expansa cutis est, abundantius perspirant sudantque, quam senes, quibus cutis sicca est atque in rugas collapsa. — Huc magna illa etiam pertinet perspiratio nocturna, quae solet sub stragulis contingere. *Tecti enim, inquit III. HALLERVS, P<sup>o)</sup> dum iacemus, animalium plumis pilisue obruti, qui vaporem ex corpore nostro exeuntem coercent, neque sinunt diffugere, colligitur circa cutem nostram vapor tepidus et bumens, quo sensim cutis emollitur et osia cutanea laxantur.* — Ob eandem porro rationem vestibus bene muniti melius perspirant. <sup>q)</sup> Hinc igitur altera (§. III.) patet ratio, cur stragula vestimenta que sudoribus saueant. — Nec non ad aërem humidum, quatenus producit sudores, hic pronocare licet: non enim est, quod dubitemus, quin aër ita comparatus corpusque nostrum ambiens, in illius peripheriam, ipsi proximam, vim suam primum exferat eamque relaxet. — Sic etiam constat experientia, <sup>r)</sup> hominem robustum et sanum, nudato corpore vaporis aquae tepidae expositum, sudoribus breui diffuere. Verum hac in re pari modo cutis relaxatio, ab eiusmodi vaporibus inducta, multum facit, quin princeps punctum

B 3

ab-

o) V. HALLER I. C. T. V. pag. 74.

p) Ibidem iisd. loc.

q) V. HALLER iisd. loc. pag. 75.

r) V. SWIETEN L. IANU C. T. II. pag. 364.



absoluere videtur. Atque nunc altera quoque ratio, quare balnea calida (§. III.) sudores moueant, satis perspicua est. — Hinc porro liquet, quare per ipsum sudorem \*) corpus saepe sic disponatur, vt postea, a leui etiam causa, nimis diffluat sudoribus; quoniam nempe calido sudore vascula nimis debilitantur cutanea. — Neque denique ipsa febris, quatenus efficit sudores, hic erit omittenda; licet omnino plures hic concurrere causas minime negetur. Omnem enim febrem, cum vires corporis nimis inde sollicitentur, debilitas comitari solet. — Praeter debilitatem cutis, *irritatio* eius sudores mouere potest, vt frictio demonstrat. Sed huius ratio e dictis §§. VI. & VII. iam perspicui potest.


#### §. IX.

Sufficiant haec de sudore eiusque causis in vniuersum; nec est, cur quis miretur, nos huic considerationi haud magis fuisse immoratos, cum nostro proposito id minus conuenisse facile pateat. In vniuersum modo adhuc notetur: 1<sup>o</sup> *eandem eandemque sudoris causam multiplici saepe ratione illi inseruire*. Sic vestimenta atque fragula non tantum aeris (§. III.) impediunt accessum, sed cutim etiam, humidum circa eam colligendo vaporem, relaxant (§. anteced.). — Sic aer humidus, in se spectatus, tam absorptioni (§. III.) aduersatur, quam sanguinem aqueis particulis (§. V.) implere, et organi secretorii debilitatem (§. antec.) producere valet. — Atque eundem agendi modum in efficiendis sudoribus, sibi balnea calida vindicant; nisi quod simul motum liquidi vitalis velociorem (§. VII.) reddere queant. — Huc etiam ille pertinet sudor, quo diffluunt potatoes aquae calidae. Quem enim fugere potest, potum eiusmodi sanguinem obruere particulis aqueis (§. V.), eiusque accelerare motum (§. VII.)? — Sic qui debiles esse dicuntur atque teneri, non tantum, quoniam, quae parant, liquida iusta carent cohaesione (§. V.), sed ob ipsam etiam in primis, vt totius corporis, ita etiam cutis debilitatem (§. antec.), sudoribus sunt opportuni. — Et qui in cute congeritur, sanguis

\*) B. SWIETEN *ibid.* iisd. loc.

guis tam per se (§. VI.), quam quatenus congestio imminutam "parere" potest cohaesionem (§. antec.), sudoris exhibet causam. — Ita quidem largior spirituosorum usus ob criticas, quibus (§. VII.) occasionem praebere potest, evacuationes, sudoribus perquam propitius esse videtur; nihilo tamen fecius sanguinis quoque motus, immediate auctus (§. VII.), et, quae virium sequi solet excitationem, respondens debilitas (§. antec.) hac in re non negligenda sunt. — Nec, cur coctionis vitia (§. VII.) quandoque sudores moueant, ratio in criticis duntaxat quaerenda est excretionibus, sed in primis etiam ad eam respiciendum debilitatem (§. antec.), quae ferme nunquam non inde solet enasci. Ne aliquid dicam de congestionibus (§. VI.), quae ex spasmodis inde obortis contingere solent. — Colophonem denique addat ipsa febris, sudoribus sane, quatenus istos efficit, multiplici ratione inferuiens. Sanguinis motum supponit adauctum (§. VII.), congestiones producit (§. VI.), totum valdopere debilitat (§. antec.) corpus, et humores vel plane resoluunt (§. V.), vel ita disponit, ut hae illaevae partes a reliquis nimis facile secedant (§. V.). 2<sup>o</sup> *saepe accidere, ut sudor, etsi una alteraue illius adest causa, haudquaquam prodeat*; quod scilicet tunc fieri potest, quando illius impedimenta simul incidunt; aeris humidi in primis exemplo, qui, si simul frigidus sit, tantum abest, ut adiuvet sudores, ut potius, vascula constringendo cutanea, secretioni materiae perspirabilis aequae ac excretioni omnem praeccludat viam. — Sic etiam in summa solidorum debilitate sudor deficit, quin ipsa perspiratio, si sanguis simul glutinosus est atque viscidus; ut saepe numero in cachexia, hydropo &c. videmus. — Atque ipsa debilitas torporem circulationis inducere potest; qui autem omnibus se — et excretionibus aduersatur. Ex quo deducere licet, quare sanguinem aquosum subinde non comitentur sudores, quoniam nempe vel debilitas iam adest, vel ab eiusmodi sanguine modo oboritur; quae vero circulationem torpentem reddere valet; ut iam de eo nil dicam, quod ista, cum fluidorum, tum solidorum conditio hydropi similibusque saevat; quibus non raro fit, ut humores a cute potius reuellantur. — Ita denique,

vt



vt reliqua mittam exempla, sanguis rarefactus minime nonnunquam efficit fudores. Haud raro enim, eo praesente, contingit, vt sanguinis motus nimia gaudeat velocitate, indeque secretionibus peragendis nullum tempus concedat.

## SECTIO POSTERIOR.

DE

### RATIONE ATQVE CAUSIS SVDORVM NOCTVRNORVM.


§. X.

Praemissis generalioribus, de sudore, in vniuersum spectato, agentibus, sequitur, vt, quem in elaboranda hac Dissertatione potissimum persequi apud nos constituimus, transtem nunc ingrediamur, deque *ratione* differamus *sudorum nocturnorum*, et, *quae eorum causae sint*, inquirere studeamus. Verum hac de materia dicturi, profecto non opus esse censemus, ante, quid istis comprehendamus sudoribus, studiosius exponere: ipsum enim nomen vitaeque communis, quid istis verbis intelligendum sit, satis declarant. Neque ideo B. L. id aegre feret, quod sudores *matutinos* subicerimus nocturnis. Nam, aliter statuere, nec vsus loquendi, nec diuersa noctis longitudo, nec ipsa causarum conuenientia permittit. Caeterum sudores, quos explicare tentabimus, neque apparitionis, neque durationis tempore, vt suadet experientia, inter se conueniunt. Nam vel aegrum statim, postquam lectum petiit, aggrediuntur, eumque per totam noctem vexare pergunt, vel post noctis demum meridiem, aut sub eius finem erumpentes, per aliquod saltem tempus affligunt. Nec eundem sibi semper vindicant recursum; licet enim subinde definito tempore recurrere soleant, haud raro tamen

men ab hoc ordine recedere obseruantur. Neque, etsi plerumque ita est, si hominem corripere coeperunt, omni nocte reuertuntur, sed aliquamdiu nonnunquam ipsi parcunt. Quae res interdum ita se habet, vt homo illos vicibus cum alio symptomate alternis patiatur. Sic e. g. in febribus lentis ac hecticis saepius contingere solet, vt, quam primum aeger diarrhoea vexatur colliquatiua, sudores nocturni euanescant, et vice versa. Non raro etiam symptomata febrilia, frigus nempe aut aestus, eos comitantur, et critica quoque phaenomena saepe praecedunt, vt anxietas sunt, inquietudo, spasmi varii interni &c. Nec non saepenumero insignis illos excipit virium prostratio totiusque corporis emaciatio; quo fit, vt aeger non raro in vitae discrimen perducat. Quandoque tamen omni fere carent periculo, atque adeo sunt salutare, ita vt homo ab istis sese commodius habeat. Denique isti sudores plerumque sunt vniuersales, raro particulares; plus minus etiam copiosi profluentes; mox tenues, mox glutinosi; mox absque notabili odore, mox vero foetentes, vel acrem spirantes halitum; mox frigoris sensum aegri vna cum illis percipiant, mox istum caloris. In vniuersum igitur sudores nocturni eadem recipiunt discrimina, quae reliquis sudoribus familiaria esse nouimus.

§. XI.

Verum quae de causis proponenda sunt, ne proponantur aut insufficiente, aut aliena a veritate ratione, id faciendum esse statuimus, vt eas primum praemittamus conditiones, quae, fere cuius homini, etiam sano, tempore nocturno familiares, augendae perspirationi inferuire possunt; postea vero ipsas sudorum nocturnorum constituamus causas. Quod igitur praemittendas, quas dixi, attinet conditiones: *lectus* ipse, quo homines nocturno tempore decumbere solent, *eiusque* in primis, vt et singularium, quibus plures vtuntur, *vestimentorum nocturnorum*, neque minus, si accedit, *hypocausti calor*, praecipuum merentur locum. Nam impeditur hac ratione absorptio liquidi perspirabilis, cutis relaxatur, et humores inuitantur ad per-



pheriam. Quae omnia vero, quantum perspirationis augmento faueant, iam ex antecedentibus luculenter apparet. — Ast homines lecto, indicato tempore, eo sine potissimum uti solent, ut, animi atque corporis exercitationibus per diem delassati, placido somno nouas colligant vires. Quem autem latet, somni tempore *neruorum vim remissius agere*, indeque totum corpus relaxari? En igitur nouam, perspirationis incremento inferuentem, conditionem! — Nec denique *coctio perfecta*, hancque excipiens *expulsio crudi & superflui* erit omittenda. Plurimi enim homines coenare solent; sed a perfectissima etiam ciborum coctione aliquid crudi remanet, et subinde etiam plus aut coquitur, aut ingeritur, quam ad corpus sustinendum opus est. Id expellere natura molitur diuersa per cola, temporeque nocturno in primis per cutim. Quod non tantum reliquae suadent a nobis propositae conditiones, sed corroboratur etiam experimentis SANCTORII, qui, teste HALLERO, \*) a quinta hora post pastum ad nonam in somno maximam fere obseruauit perspirationem. Quo vero nimis in optima sanitate, vitae regimine apto et diuina congrua sustentata, sudores compareant nocturni, impediunt praecipue: *circulationis* qualiscunque *torpor*, sanitati tamen respondens, ut est, qui sub somno ab intermisso corporis motu inducitur atque vi neruea remissius agente; *densitas cutis*, quae tantam in statu sano vix admittit relaxationem, ut inde produci queant sudores; *parcitas* porro *crudi* et *superflui*; et denique huius *distributio per plura organa se — et excretoria*, qua nempe efficitur, ut vtriusque euacuatio insensibili potius ratione contingat.

### §. XII.

Iam vero sequitur, ut causas sudorum nocturnorum proponam (§. anteced.). Ut vero fontes simul curationis, qui limpidissimi sunt, aperiantur: ductu experientiae, quam solam in hoc causarum scrutinio habere fas est cynosuram, classes earum constituere liceat. Equidem insignem hac occasione obseruationum numerum commemorare possem, sed paucis sum contentus,

mo-

\*) I. iam saepius c. Tom. V. pag. 73.



modo sint magis habendae; omnia profecto euitans, quae minus vtilia videri possent atque superflua. Sic inter omnes, vel in arte apollinea haud peritos, satis constat, sudores nocturnos in febribus lentis ac hecticis frequentius occurrere: superuacaneum igitur foret, horum praesentiam in his morbis magna historiarum ferie declarare; cum imprimis in hoc casu omnes sibi vnam eandemque principalem causam fere semper vindicent. Neque minus omni vtilitate destitutum esset, si, hac illaue causa vna alteraque observatione iam satis confirmata, tot tamen, quot inuentu possibiles, eiusdem licet commatis, nec plus valentes, subiungere vellem. Quibus igitur praenotatis, sequentes sudorum nocturnorum causarum classes, quae commemorantur, dignae sunt:

I. *Moles lecti aucta, auctusque illius, vt et vestimentorum nocturnorum et hypocausti calor.* Iam in priori §pho indicatum est, lectum &c. ad eas referenda esse conditiones, quae, omnibus fere hominibus tempore nocturno communes, auctae perspirationi non parum fauent. Sed aucta causa ceterisque conditionibus manentibus, augeatur effectus necesse est. Anne ergo perspiratio in casu proposito tanta fieri poterit, vt verus inde sudor enascatur? Atque id quouis fere die ipsa experientia luculentissime declarat. Quis enim est, quem fugiat, quam soleant frequenter stragula ponderosiora sudores proritare nocturnos? Quem etiam latere potest, dictos sudores vel sanissimos homines, tempore in primis aestiuo, infestare; idemque in cubiculis calefactis contingere? Et quis denique eiusmodi sudores non ipse expertus est, quando vestibus bene munitus lecto decumbere tentauit? Potestne autem in omnibus hisce casibus causa sudorum, vel in hominibus ceteroquin sanis euenientium, in alia re quaeri, quam in aucta lecti mole, auctoque illius &c. calore?

§. XIII.

II. *Debilitas cutis morbofa.* Cuius rei veritas itidem non tantum rationi superstructa est, atque ex iis fluit, quae in antecedentibus, tam



occasione causarum sudorum in genere (§. VIII.), quam cum sermo esset de illis conditionibus, quae cuius fere homini familiares, esse solent (§. XI.), satis fusc proposita sunt; sed in primis etiam experiundo discitur. Noui ego Venerabilem Matronam, quae, post usum balnei cuiusdam martialis, sudore aliquamdiu nocturno matutinoe caret; qui vero post aliquod tempus reuertitur, deleta nempe remedii efficacia. Idem effectus usum sequitur Corticis Peruuiani. — Notum quoque est, quod sola consuetudine sudores, in primis matutini, si non prouocentur, continuo tamen persistant angeanturque. Hoc comprobant corroborantque estatum *III. v. SWIETEN*, cuius §pho VIII. mentio facta est, et, quod apud eundem eodem loco legitur exemplum, a *TVLPIO* recensitum, de virgine, quae, ab ineunte aetate, ob sudores praegnantis matri crebrius motos, tam peruiâ et patula habuit spiracula, ut continenter fere maduerint: et quidem tanta copia exibat sudor, ut quotidie ter vel quater indusia mutare cogeretur. Quibus additur, continuo hoc sudore magis adhuc debilitatis vasculis cutaneis, per septem amplius annos pertinax mansisse malum, licet remedia adhibita fuerint comenientissima. — Et in vniuersum morbos, quos sequitur debilitas vasorum, procliuatatem excipere ad sudores nocturnos obseruatur. Ita, momentibus *SYDENHAMO* <sup>u)</sup> atque *v. SWIETEN*, <sup>x)</sup> qui a febris longis conualuerunt, in primisque post frequentes et validas euacuationes euaserunt, et ante morbum minus robusti existerunt, simulac in lecto decumbunt, modice etiam tecti, propter superstitem debilitatem, incallescere incipiunt, et mox sudore diffluere. Qua re etiam conferatur *WILLIS*, <sup>y)</sup> qui post febres diuturnas idem vidisse affirmat, iuncto adolescentis exemplo, in quo, a febre quartana decemestri conualescente, isti sudores adeo fuerunt profusi, ut vnaquaque nocte camisiam et lodices (veluti si aquis immergerentur) madefactos ter mutare coactus sit. —

Cau-

u) l. c. T. I. pag. 143.

x) l. c. T. II. pag. 370.

y) Pharmac. rat. pag. 134.



Causam porro sudorum, in his casibus, ipsa detegit curandi methodus, quae solo roborantium usu absolvitur. Sic affectis SYDENHAMVS <sup>z)</sup> mane et vespere cochlearia quinque vel sex Vini Malacensis annosioris propinari iussit; cuius usu, ut ait, vires crescebant iugiter, et evanescebant sudores. Idem observavit v. SWIETEN <sup>aa)</sup> post usum infusi Salviae, vino vel, in refractario malo, spiritu vini parati. Et apud ALLIONIVM <sup>bb)</sup> sequentia leguntur: *facilis*, inquit, *ex quocunque motu sudatio* (nempe post superatam purpuram acutam), *si nascatur ex sola vasorum debilitate, proderunt frictions, et balnea minimum tepida, et corroborantia.* Ita etiam WILLISIVS <sup>cc)</sup> in illo adolescente lacteam, quam vocant, diaetam, et praesertim lactis asinini usum cum fructu adhibuit. Quandoque Peruvianus Cortex similiae in eiusmodi casu iuvant. — Quin sudores nocturnos saepissime caetera comitantur debilitatis phaenomena, e. g. perpetua lassitudo, virium notabile appetitusque decrementum &c.; quae omnia cum aliis *Celeb. de* HAEN <sup>dd)</sup> observavit, debellata tandem solo Corticis Chinae usu. — Quibus rationibus accedit, quod dentur mira sudorum nocturnorum exempla, quae vix absque cutis debilitate concipi possint. Incidunt saepe, annuente WILLISIO, <sup>ee)</sup> quidam homines, sine causa manifesta, in sudationis habitum. Vidit Ille Illustrem Dominam, iam a multis annis ob immensum, seu, ut Auctor loquitur, potius stupendum sudoris profluvium celebrem; quippe sudor lintea non solum et lecti contenta singulis noctibus inundavit, sed insuper etiam multum meri sudoris in peluim, femoribus suppositam, exstillatum est. Et licet ea a pluribus Medicis remedia ceperit, eorumque consilio acidularum varii generis usum, et regionum exterarum, in primis Galliae, auram experta sit; nihilo fecius haec

C 3

omnia

z) l. c. pag. c.

aa) l. c. pag. c.

bb) Tract. de Miliar. Orig. &amp;c. pag. 128. Sph. 239

cc) l. iamiam c.

dd) Rat. Med. P. XI. pag. 33.

ee) l. c. pag. 141.

omnia nullum attulerunt commodum. De recuperanda illius sanitate ipse WILLISIVS nunquam consultus, factus tamen est, se nescire, an in morbo, diuturno habitu confirmato, quaeuis remedia aut medendi methodus aliquid prodesse; addens, si magnum illud pro diagnosi vitiatum remedium, sc. aëris mutatio, repetendum foret, non amplius Galliam, verum Daniam potius adendum esse aut Sueciam. Nonne vero ex praedictis tute colligere licet, debilem cutis constitutionem, nisi omni, saltem maxima ex parte in culpa fuisse? Ita docet mali in primis diuturnitas eiusque continuitas absque alia causa manifesta et sine eminente vitae periculo (WILLISIVS enim sitis modo et qualiscunque virium languoris, sumto potulento facile cedentis, meminuit), quo foemina vix tam diu carere potuisset, si a grauiori causa chronica, viscerum e. g. laesione &c. profectum esset. Et quanquam WILLISIVS sanguinis serum, prompte nimis abscedere aptum, accusat; tamen multum etiam debilitati tribuisse videtur; quod scilicet hanc excretionem, per poros cutis primo occasionaliter coeptam, postea vero habitu quodam facilitatam esse iudicat, tractusque adire suadet septentrionales, ubi in aëre viuitur magis frigido. — Denique, quod ad confirmationem allatae causae multum facit, saepe accidere animaduertitur, ut, quam primum quidam aegri lectum petant atque obdormiscant, illi sudore profuso infestentur. Sic, teste *Celeb. HOFFMANNO, ff)* post febres tam acutas, quam chronicas, adeo ingens saepe remanet ad continuos et largos sudores dispositio et habitus corporis, ut etiam facili ex causa, leui externo calore, vel si eiusmodi homines oculos claudant et somnis obrepat, prouocentur. Non essemus difficiles, in casu obuiio aliam, eamque principalem, suspicari causam, nisi dicti sudores homines, lecto vix decumbentes ac dormire incipientes, inuaderent; quod potissimum saltem in debilitate morbosa causam quaerere cogit, quippe quae, nisi noua accedat causa, interdum tanta quidem non est, ut sudores mouere possit, noctu tamen iis conditionibus, quae Spho XI. adducta sunt, adeo

adeo angetur sustineturque, vt sudoribus producendis nunc plane sufficiat.

§. XIV.

III. *Aucta sanguinis quantitas; sanguinis fluxilitas, eiusque in primis serofitas; serui laxior cum crassamento cohaesio.* Iam dudum in sectione huius Dissertationis priori, omnia haec indicata sudores excitare posse, satis probatum est; proptereaque facile erit perspectu, eadem idem tempore in primis praestitura esse nocturno, fauentibus nempe nunc illis praedictis conditionibus. Neque dissentiunt obseruationes. Sic, quod attinet *auctam sanguinis quantitatem*, ex *vna Obseruationum RIVERII 22)* iam aliquid eruere licet, quod magno praesidio nobis esse videtur. Cum enim noster Obseruator ex castu obuiio, vbi foeminam, post febrein perpeffam eiusmodi sudoribus vexatam, solo Iulapio refrigerante se curasse asserit, deducere conetur, dictos sudores humorum abundantiam non semper indicare; sequitur, id tamen subinde fieri. Quin, quod maximum nobis est, paulo post plane fatetur, homines sanos, qui calidi sint temperamenti, haud raro de nocte sudare. Legimus etiam in *COMMERC. LITTERAR. NORIMBERG., 14)* foeminam quandam *Argentinesem, aetatis 25. circiter annorum, temperamenti sanguineo - cholericu, octauo et nouo grauiditatis suae mense, quotidie sub diluculum, post somnum alias placidum, supra totum corpus, praecipue vero in regione epigastrica, sudore perfusam fuisse copioso mucilaginoso, seu potius gelatinoso, quandoquidem iste, post aliqualem refrigerationem, galredae instar, subsiterit, cum summa virium prostratione; qui nec temperantibus, nec absorbentibus, nec nitrosis, nec tonicis coercendus, instituta tandem, post lenem laxationem, venaesectione, ex integro cessauerit, vt vires etiam redierint; quo facto paulo post foetus perfectissimus atque sanissimus ab ea in lucem editus sit.* Primariam vero rarissimi huius affectus cau-

sam

22) Observations de Med. p. m. 538. Obs. XXVII.

14) Ann. 1734. pag. 81. III.



sam in lauti sanguinis superfluitate latitasse, ibidem affirmatur; nec aliter ex  
 praedictis colligere datum est. Quod si enim cruditates primarum viarum  
 accusare velles, quas propinatum laxans forte expulisset: *lene* laxans adhibi-  
 tum fuisse non meminisse videris. Nonne quoque ea huc spectat BENEDI-  
 CTI SILVATICI Observatio, <sup>ii)</sup> qua sudores, semel in mense per triduum  
 erumpentes, in Nobili Moniali, loco menstruae purgationis, se vidisse testa-  
 tur? Denique nemo forsitan erit, quin nobiscum agnoscat, vel homines cete-  
 roquin sanos, ex coena nonnunquam vberiori, <sup>kk)</sup> in sudorem incidere noctur-  
 num. Quo autem in casu inductam sanguinis abundantiam multum conferre,  
 quin nonnunquam princeps punctum absolvere, nemo negabit. — Quod de  
 Plethora dictum fuit, idem de *serositate sanguinis* valere, observationes emin-  
 cunt. Serii diminutionem, in quibusdam subiectis serosis, per spontaneos lar-  
 gos vtiliter succedere sudores nocturnos, asserit praesertim Vir arte insignis,  
*Frid. HOFFMANNVS.* <sup>ll)</sup> Nonnunquam praeterea in iis, qui refrigerium  
 corporis admiserunt, sudores proueniunt nocturni, iidemque admodum salu-  
 tares. Quem etiam latere potest, ex nimia potus aquosi, tempore sorte no-  
 cturno facta, ingurgitatione, sudores nocturnos facile prouenire, vel saltem  
 facilitari et sustineri? Nonne vero isti sudores parti sanguinis serosae ada-  
 ctae, et immutatae sanguinis cohaesioni debentur? Quocirca loco iamiam ci-  
 tato monet WILLISIVS, cum Domina illa Illustris necesse habuerit, ob sitim  
 continue vrgentem, paulo vberius potum ingerere, inde quidem vires instau-  
 ratas, simul autem sudationem perennem factam fuisse. Et in vniuersum  
 victus tenuior, vt sudoribus generatim, ita nocturnis quoque generandis in-  
 feruit. — Quod si denique *sanguinis serum cum crassamento laxiorem con-*  
*traxerit cohaesione*m, noua inde oborietur sudorum nocturnorum causa;  
 quam etiam aliquot saltem Autores indicasse videntur; imprimis vero WIL-

LI-

ii) Consil. et Respons. Medicin. Cent. I. Cons. VI. p. 7.

kk) v. HALLER l. c. T. V. pag. 599.

ll) l. c. T. III. pag. 219.

LISIVS, quippe qui, ut aliquid dicat de aetiology casus propositi, *sanguinis fevi, prompte nimis abscedere apti*, mentionem facit. Et sane ipsa, ut videtur, debilitas solidorum (§. antec.), coctiones turbando, huic causae fauet. *mm)* Anne etiam miasmata quaedam, ut miliare? Anne spasmi et turbae circulationis, in abdomine aliisque nobilioribus partibus prodeuntes? *nn)* Sed de his deinceps dicendi occasio erit.

§. XV.

IV. *Expulso acris aut alius nociuae materiae, quae noctu a natura instituitur.* Quis enim ibit infitias, cutim nostram tunc temporis prae aliis organis excretoriis, dummodo nocens materies per eam euacuari possit, illius eliminationi per sudores maxime esse idoneam? Sic a superatis variolis sudores nocturni obseruantur profusi, *qui*, secundum *Celeb. MORTON, oo)* modo res aegrotantis non sint deploratae, non possunt non singulis noctibus recurrere, donec delitescens venenum, viribus naturae subactum, penitus eliminatum fuerit. Hinc vrget, istos sudores nulla ratione cohibendos, sed naturae potius conatus promouendos esse. — Quique in purpuram chronicam proni sunt, eisdem, docente *III. HOFFMANNO, pp)* experiuntur sudores; qui saepissime ab Eodem crebriori alui solutione per clementiora laxantia dissipati sunt. Quin qui ab acuta purpura reconualescunt, vel a leui motu, teste *ALLONIO, qq)* si grauiter laborarunt, sudoribus nonnunquam diffluere videntur; quod eo magis nocturno tempore sub stragulis euenire oportet. Verum isti sudores, sicuti ex eodem eruitur *Autore, rr)* nisi nascantur ex sola vasorum debilitate, a superstita aliqua oboriuntur miasmatis copia; hinc

*mm)* GAVB. Inst. path. med. §. 321.


*nn)* IDEM l. iamiam c.

*oo)* Opera Medica. T. III. p. m. 197.

*pp)* l. c. T. IV. P. V. pag. 120.

*qq)* l. iam c. pag. 45. §ph. 86.

*rr)* Ibidem. pag. et §ph. supra cit.



hinc etiam praecipit, nocere tunc balneum frigidum, et accurate colendam esse perspirationem. — Forte etiam ii, qui sudorem sequuntur anglicanum, sudores nocturni <sup>rs)</sup> non a sola proficiscuntur debilitate, sed etiam a relicta materia morbifica. Id quod in primis de illis credendum est, qui morbum superatum statim excipiunt; licet eos temporis processu, cum plures subinde menses perdurent, forsitan magis debilitati tribuendos esse censeamus. Nec remanens a superata febre intermittente in sudores nocturnos propensio, in solam semper refundi potest debilitatem; sed non raro etiam in relictam nocentem materiem, quam omni ope natura e corpore eliminare molitur. Testem in hac re habemus *Celeb. SENAC.* <sup>rs)</sup> *Hinc fit, monente illo ex multiplici observatione, ut eiusmodi sudores refrænari vix possint; et si coercantur incongrua medendi ratione, res in peius ruere solent.* <sup>iii)</sup>

E praedictis caeterum vna ratio intelligitur, quare coctionum turbæ impedimenta que sudoribus tantopere faueant nocturnis? Quod enim nostris humo-

<sup>rs)</sup> Medicus Geschichte period. Krankh. pag. 55.

<sup>rs)</sup> De Recond. Febr. Interm. tum Remitt. Natura. Pag. 110, 119, 120.

<sup>iii)</sup> Inde vel maxima ratio petenda esse videtur, quare hydropes tot morbos sequi soleant, in primisque febres. Quoniam nempe saepius materia a morbo relicta, ex quacunque demum sit causa, qualis est v. g. inepta medela, incongruum vitae regimen &c., per hanc illamue excretionem, praesertim cutaneam, e corpore non eliminatur, sed potius in eo retinetur. Vix quoque alia ratione poterit ille hydrops concipi, qui post scarlatinam adeo frequenter caput extollere, longaque plures, quam morbus ipse praegressus, enecare solet. Suadent enim acrem relictam materiem tam concomitantia eiusmodi hydropem phaenomena, ut tussis sunt, vrina sanguinolenta, phlegmatorrhagia, tormina ventris &c., quam ipsae potissimum a causis petitae observationes, quippe quae nos edocent, illos homines prae aliis intumescere, qui, superata vix scarlatina, se aëri praemature exponunt, perspirationi cutaneae minus indulgent sudoribusque, nimia gaudent sensilitate, et solito maiorem experiuntur cutis decorticationem; corporis peripheriam non parum etiam iusto sensiliorem reddentem; quae nimia autem sensilitas efficit, ut vel a leuissima causa, materies, iam ad locum excretorium pulsa, ibi retineatur, et aliena loca petere cogatur.

moribus crudum inest, illud, quemadmodum a nobis iam monitum fuit, vt varia per organa excretoria, ita tempore in priinis nocturno per cutim eliminari solet. Iam vero, proposita sub conditione, maior, quam par est, assumtorum, ad sanguinem delatorum, copia cruda maneat oportet. Quid igitur mirum, si crudi euacuatio noctu nunc instituitur, sudores inde prouocari nocturnos? His praemissis, facile etiam cognoscitur, quare imminutum solidorum robur sudores nocturnos vel remotius producere queat. Omnes enim coctiones a iusta potissimum pendent viuidaeque solidorum actione; qua laesa, priores laedantur necesse est. Hinc quoque minus mirandum, quod in febribus lentescentibus, lentis ac hecticis iidem sudores tam facile compareant atque copiose. Nonne ob imminutum corporis robur laesaeque viscera in omnibus hisce corporis humani affectionibus coctiones insigni ratione laeduntur? Vt iam de eo nil dicam, quod istae saepius affectiones ab istiusmodi materie, quae ipsa cruda sit, proueniant. Sed plura de his in sequentibus.

### §. XVI.

V. *Vitia infimi ventris, imprimisque primarum viarum.* Id certo euenire, vt sudores inde oboriantur nocturni, multiplices docent observationes; vnde autem hoc eueniat, non adeo facile erui potest. Videntur tamen et spasmi, qui inde oriuntur, et turbae cum coctionis, tum circulationis, non solum faciliori feri a crassamento secessui, <sup>xx)</sup> sed etiam, tempore in priinis nocturno, propulsioni humorum versus cutim fauere. Saltim *diaphoreticae* sic dictae febres intermittentes simili causae debentur. Quae vero cum ita sint: anne vitia quaedam thoracis, et imprimis pulmonum, ex eadem saepe, saltem concurrente, ratione, sudores nocturni comitantur, vt haemoptysin, phthisicam dispositionem &c.? Sane haec et turbant coctiones, et sanguinis circulum peruertunt, et spasmi infimi ventris haud raro stipantur! Verum his missis, ad viscera abdominalia transeamus, quae causa sudorum



nocturnorum frequentissime occupat. In *hypochondriacis* matutinos, eosque profusissimos nonnunquam contingere sudores, monet b. m. VOGELIVS, <sup>yy)</sup> Idem etiam cum aliis Celeberrimus nobis persuadet *Frid. HOFFMANNVS*, qui non tantum, quanta sit horum miserorum in sudores copiosos proclivitas, plane testatur, <sup>zz)</sup> sed sequentem etiam, quae id confirmet, proponit observationem: <sup>aaa)</sup> Vir quidam litteratus, triginta septem annorum, temperamenti cholericum-sanguinei, qui iuuenis saepius, multumque cruoris e naribus fundere suevit, ceterum sub lauta diaeta, ac intercurrentibus in vini potu excessibus, non obstante insigni plethora, illibata gauisus fuit sanitate, per sex nunc circiter annos, post praegressum diurnum moerorem, accedente vita sedentaria, passionibus adfligi coepit hypochondriacis. Urgebant in primis per interualla adeo flatulentae imi ventris distensiones, ut accederent vertigines, sudores frigidi, animusque ad cuncta negotia torpidus redderetur et anxius. Sub costis spuriis, maxime in sinistro hypochondrio dolor erat grauatius, mox tensius, qui saepius ad femur totumque pedem, cum huius quadam stupiditate, excurrerat, et calculi renalis mouebat suspicionem. Iungebantur tinnitus susurrusque aurium; alius plerumque sicca, ciborum appetentia mox deiecta, mox audior; sed a pastu male habebat; atque urina mingebatur pauca, cum crebro stimulo. Praeter haec aeger, durante hoc tempore, asthmae quasi conuulsiuo aliquando prehensus est, in febrem quartanam desinente. Ab hac diu vexante, tandem insignis quidem eum liberavit terror, sed ab eo tempore cuncta sensit acerbiora. In primis flatus ructusque multam fixerunt crucem; artus externos saepenumero spasmodicae ac fere conuulsivae torserunt agitationes, noctesque somno ideis terrificis pleno sudoribusque copiosis stipato transactae sunt. Cui malo medendi potissimam intentionem consultus *Celeb. Autor* in eo reponendam esse iudicauit, ut omni modo

<sup>yy)</sup> Acad. Prael. de cognosc. &c. pag. 439.

<sup>zz)</sup> l. c. T. IV. P. III. pag. 205.

<sup>aaa)</sup> Ibidem eodem loco. pag. 251. seq.




modo et cura deperditus intestinorum naturalis et saluberrimus motus restitueretur. — Pari modo res se habet in *malo hysterico*; quod itidem testatur *Celeb. vogelivs*, *bbb*) atque alias urinam copiosam reddere, aliis copiosum salivae fluxum et sudores nocturnos contingere affirmat. Cui inter alios etiam consentit *sydenhamvs*. *ccc*) Quem vero latet, praecipuam vtriusque mali sedem in infimo ventre collocandam esse? Suadent id maxime symptomata, ipsaque curatio. — Non raro etiam, ut Observatores notarunt, *haemorrhoidarii* in dictos incidunt sudores; quod sane tanto minus mirandum, quanto maior inter haemorrhoides et malum hypochondriacum obtinet cognatio. Sic memorat *fischervs*, *ddd*) *Virum annorum quinquaginta quatuor, habitus laxioris, plethoricum, venae sectioni addictum, tempore hyberno, ob pectoris oppressiones, aestus volaticos, et sudorem nimium insomnes traxisse noctes, ut multoties, ad sudoris moderationem, in primis, cum ipsi simul plantae pedum vrentur, de lecto surrexerit. Ceterum per diem se commode habuisse, negotia obiisse, nec appetitu ad cibos plane caruisse; alui segnitiam tamen et urinae paucitatem inculpasse.* Haec incommoda pilulis *becch. et stahlii pulvere antispasmodico per duas septimanas tollere frustra tentasse; donec tandem haemorrhoides, quas nunquam antea expertus fuerit, eruperint, sanguinem grumosum in magna quantitate eiuculantes, ex quibus statim noctes somniferae, aestuum volaticorum et nocturnorum sudorum absentia vel moderatio, urinae maior secretio, cum plenario pristinae sanitatis reditu.* Operae etiam pretium esse videtur, ut hac occasione sequentem in medium proferamus casum, aliis observationibus, nobis quidem sentientibus, palmam praeripientem: *eee*) Vir quadraginta quatuor annorum, staturae procerae, habitus externi macilenti, iuuenis ad vi-

D 3

ge-


*bbb*) l. iam c. pag. 446.*ccc*) l. c. T. I. p. m. 264.*ddd*) Tract. de Febre Miliari &c. pag. 61.*eee*) Der in schweren und verwirrten Krankh. vernünftig rathende und glücklich curirende Medicus u. Erfurth 1762, pag. 163. seqq.



gesimum septimum vsque aetatis annum, pleuritidem saepe perpeffus est vna cum spūto cruento, sanguine eodem temporis spatio non raro e naribus magna quantitate effūso. Curatum est malum venaesectione aliorumque remediōrum vsu, exceptis tamen narium haemorrhagiis, rarius tamen nunc contingentibus. Interim sequebantur validi capitis dolores, quos haemorrhoides coecae excipiebant. Annum agens trigessimū quartum, aeger easdem, absque artis ope, expertus est fluentes, quae autem postea, longo temporis intervallo, semel modo redierunt, superffite ex hisce partibus effluxu liquoris flavescentis solidaque arrodentis; qui tamen procedente tempore pariter cessavit, remanente pruritu ad intestinum rectum; donec tandem anno aetatis trigesimo septimo tertia vice parum sanguinis per anum emisit. Verum haec excretio, aequae ac priores, minus fuit diuturna. Posthaec aeger copiosissimis saepe diffluxit sudoribus nocturnis; quo factum est, vt Medici illum hectica laborare sibi persuaserint. Simul conquestus est de aestu interno, anorexia, agrypnia et ventriculi praesertim intumescencia. Conualuit tamen post vsūm lactis asinini cum acidulis felteranis, nisi quod dicti remanerent sudores; qui modo grauius affligerunt, modo leuius, nonnunquam etiam penitus aliquamdiu absuerunt, et praesentes plus commodi attulerunt, quam detrimenti, aegro se semper tunc melius habente. Hicque fuit rerum status omnibus anni temporibus, licet subinde sudores adeo fuerint copiosi, vt liquidum excretum, tres, quatuor, quinqueue libras exigeret. Cum autem temporis processu ista excretio sensim adolsceret, nec raro per totam noctem, plerumque tamen a noctis meridie vsque ad tempus matutinum aegrum vexaret: vires inde sunt labefactatae, ciborum accessit inappetentia, et, quod notatu dignissimum est, quando sudor erumpere vellet, vel saltem deberet, carniū praesertim fastidium; nec aeger ante eum eoque durante, vllum somnum capere potuit. Ipse sudor saporem habuit falsum, odorem spirauit acidum, et vrinae haud abfimilem. Ceterum matutino tempore ructus fuerunt molesti, interdum soda, quin aliquando versus vesperum cardialgia correptus est, quae, superueniente magno

magno aestu et sudore copioso, cessauit, remanente tamen notabili virium languore et ciborum appetitu prostrato. Quam aeger sub sudore reddidit, vrina erat pauca, fusci coloris, breui post excretionem turbulenta, multum relinquens sedimenti; alius raro obstructa, obstructa vero atrocissimos inducere solebat capitis dolores. Saepenumero etiam dolores ischiadici aegrum sunt aggressi, nonnunquam dolores ad dorsum. Cum, pro auertendo sudore, aeger aliquando sub mastruca quiescere tentasset, tertio die sub diluculum modicum sub pectore percepit sudorem. Hunc secuta est cephalalgia, pandiculatio et sensus doloris osteocopi, ad spinam dorsi et costas percepti. Videbatur nunc modo frigus, modo calor ex dorso insurgere, dolebant plantae pedum, intumescabant gingiuae, omniaque praesto erant, quae motus febriles indicare solent; aegro simul omnem potum abhorrente atque cibum. Denuo nunc, ex consilio sui Medici, lecto quiescere coepit; sed statim per totam horam insigni aestu iactatus est cum subsequente sudore, ipsi tamen leuamini inseruiente. Atque eiusmodi crebrioribus repetitionibus tota nox et maxima pars sequentis diei peracta est. Nec, quod nostram claudit historiam, binae sequentes noctes multo melius transactae sunt; in quarum postrema aeger in genu ingratam percepit sensationem, quae vero post nouam sudoris eruptionem disparuit. Cuiuscunque nunc causae sudores nocturnos, in hoc memorabili casu, tribuere velis: id tamen certum erit, eam in infimi ventris laesione consistere, turbasque illos aut coctionis, aut haemorrhoidum, aut circulationis per viscera abdominalia in vniuersum, aut plures ex his simul, produxisse. — Et *mensum* quoque *turbas* sudores isti subsequi possunt. Sic legitur apud summum Virum, *Frid.* HOFFMANNVM, ff) Matronam quadraginta nouem annorum, praeviam post refrigerationem insigni percussam terrore, postridie in inguine dextro dolorificum percepisse tumorem, herniae similem ouique magnitudinem adaequantem; quem intra annum tempus tanta exceperit abdominis intumescencia, vt gemellos vtero gerere videretur, vna cum tumore pedum oede-

ff) Consult. et Resp. Medic. T. II. pag. 317.



oedematoso; menstrua a primo morbi insultu suppressa, tunc temporis adhuc retenta fuisse; febrem postea accessisse intermittentem, cum Medici consulti, hydropem subesse rati, illum fortioribus purgantibus, ac demum aquis Wisbadensibus frustra oppugnassent, nec menses, licet haec febris vna cum siti et tumore pedum profligata sit, amplius fluxisse, abdominis tamen molem eandem mansisse, flatus vrssisse, et foeminam, simulac obdormuerit, largo et male olente sudore perfusam fuisse. Nonne vero, cum nostro Clarissimo Auctore, <sup>ggg</sup>) imminentem expurgationem menstruam, panico terrore ex toto suppressam, enatasque inde infimi ventris turbas, totius mali causam atque originem agnoscere licet? Et, quod hactenus de vitiis infimi ventris dictum est, illo etiam potissimum illustrari videtur exemplo, cuius RIVERIUS <sup>hhh</sup>) meminit. Fauet nobis saltem mali curatio, et symptoma ipsum, quod intermittens genio respondet. *Vir scilicet quadraginta annorum, temperamentum melancholicum, sudoribus iam diu grauatus nocturnis, quatuor quinque noctes, se inuicem excipientes, ipsum assigentibus, postea emanantibus, et singulis mensibus iterum vel tertium pari passu recurrentibus, continuato trimestri usu pulueris radicum ialappae drachmae dimidia, anatica portione cremoris tartari mixtae, et quouis mense bis exhibitae, pristinam demum recuperavit sanitatem.* Quibus sane ea conferri merentur, quae hac de re *Celeberrimus SAUVAGES* <sup>iii</sup>) habet. *Ter, inquit, vel quater obseruauimus homines, qui sine causa euidente, sine febre, sudoribus potissimum nocturnis per menses diffuebant. Curatur catharticeis, acidulis, lacte.* Sunt quoque plura, quae huc spectant, exempla. En, quod *Doctiss. BERNERUS Actis Physico-Medicis Nat. Curios.* subiunxit! <sup>kkk</sup>) *Vir, inquit, sedentariae vitae, et literis deditus, sexaginta circiter annos natus, cum praeterito autumno in febrem tertianam incidisset, implorat auxilium Medici, qui antequam primas vias prae-*

pa-

<sup>ggg</sup>) Ibidem pag. 318.


<sup>hhh</sup>) l. iam c. Cent. III. Obf. LXXX. p. m. 381.

<sup>iii</sup>) Nofol. Methodic. T. II. pag. m. 369.

<sup>kkk</sup>) Vol. III. Obf. XXX. pag. 93. seq.

parasset, exhibet ipsi aliquot doses Corticis Peruviani, quo ipso quidem paroxyssimus fugatus fuit; sed animadvertit patiens pulsum inaequalem cum languoribus febrilibus et appetitu deiecto. Vocatus ego cum accederem, explorabam pulsum, quem non modo inaequalem deprehendebam, sed quarto quovis ictu omisso, ut nempe, cum tres arteriae pulsationes numeraverim, quarta in ordine deficeret. Exhibebam aegroto lenē aliquod laxans; quo bene succedente, sequentibus diebus, pillulas antifebriles ex amaricantibus extractis, et pulverem absorbentem cum salibus antifebrilibus alcalinis, cum arcano dupl. et antim. diaph. mart. mixtum: ess. quoque antifebrilem ex amaricantibus. Quibus remediis, sudore quouis die circa quartam matutinam succedente, quartus arteriae pulsus redibat et sanatus est aeger. Sane non febris, cuius etiam ipse Observator hoc ultimo loco prorsus nullam mentionem facit, sed relicta in primis viis colluvies febrilis, ut pulsus intermissionem, sic sudores istos nocturnos produxit. — Huc porro et ad hysteriā labem ea mihi observatio pertinere videtur, quam in iisdem Actis recenset ADOLPHI: III) *Virgo 26. annorum, sanguineo-melancholici temperamenti, vitam sedentariam agens, mensum obstructione pertinaci per 9. menses laboravit, ex qua cardinalgia maxima, usque ad intercurrentes non raro animi deliquium est affecta, cum sudore nocturno colliquatio, qui mox a media nocte, aut quando praeter modum paulo et consuetudinem corpus commovebat, incipiebat, et circa scrobiculum saltem cordis se exserebat, ex qua regione stillicidii ad instar sudor copiosissime effluebat, quem simul febris quaedam lenta, circa vespertinum tempus augmentum capiens, comitabatur.* Est enim Autor febris vespertinae meminit, a qua sudor iste colliquatiuus repeti forte posset: attamen cetera symptomata et topicus sudor suadent, sudorem nocturnum in hoc casu minime ab ipsa febre, sed hanc potius una cum sudore a communi quadam causa, vitio nempe infimi ventris, originem suam sumsisse. — Interdum quoque

III) Vol. II. Obs. LXXXV. pag. 194.



que *verminosis* sudor accidit nocturnus, vt *Illustr. ROSENSTEIN* <sup>mm</sup>) recen-  
set; addens, *Cl. MARTIN* illum in *Gordio* cum aliis symptomatibus, qualia sunt  
narium pruritus circa tempus vespertinum, salivae in ore abundantia, vomitus  
ex improviso obortus, somnus inquietus, tensiones et motus spastici circa  
hepar atque lienem, a cuius regione flatus ascendere solebant cum dolore ad  
cor, genarum rubor, manifestior nonnunquam in latere sinistro, quam dextro  
&c.; inter ea signa retulisse, quae huius hospitis praesentiam declararent. —  
Tandem *lienosis* atque *scorbucis* sudores nocturni familiares sunt. Exem-  
plum habet *FORESTVS*: <sup>mm</sup>) Vir quidam melancholicus, a quartana lienem  
habuit durum, grauitatis sensu in parte sinistra concomitatum, vna cum siti  
vehementiori, oris siccitate, respiratione difficili, accedente tumore duro, cir-  
cumscripto in hypochondrio eiusdem lateris. Pedes erant inflati, neque mi-  
nus pudenda, colorque plumbeus; decubitus in latus affectum grauis; anima  
foetens; sanguis, vt in scorbucis, conspiciebatur e gingiuis erumpens, eae-  
que vna cum dentibus corruptae; cutis squalida, vlcera in tibiis, in sinistra  
potissimum maligna, nigrae in cruribus cicatrices, et sudores graues noctu  
apparentes. Idemque confirmat *Daniel SENNERTVS*. <sup>ooo</sup>) Vt, inquit, in *quar-*  
*tanarum declinatione sudores copiosissimi sunt, ita et in scorbuto saepe sudores*  
*copiosissimi sunt, qui etiam media hyeme sub leuissimis tegumentis erumpunt.*  
Hisque paulo post adiiicit: *sequitur plerumque sudores istos copiosos atrophia.*

§. XVII.

VI. *Motus sanguinis auctus; febres in primis motusque febriles*  
*ita euenientes, vt sudoris tempus noctu incidat.* Quid de motu sanguinis  
aucto in mouendis sudoribus tenendum sit, de eo iam in Sectione huius Dis-  
sertationis priori (§. VII.) satis fuisse actum est. Iam fac, illum descripta ibi ra-  
tione esse constitutum, temporeque contingere nocturno; nonne inde sudores  
excitabuntur nocturni? Sumamus exempla, l. c. commemorata! Solent pro-  
fecto

<sup>mm</sup>) Von den Kinderkrankheiten, pag. 469.

<sup>mm</sup>) Opera omnia. Edit. Francof. 1660. Libr. XX. Observ. I.

<sup>ooo</sup>) De Scorbuto Tract. Witteberg. 1624. pag. 121.

fecto illi homines sudare, qui multo corporis labore aliquid peragunt, indeque sanguinis motum augment. Si quis igitur noctu, quod raro, apud nos saltem, euenire solet, eiusmodi laboribus infitatur, quid mirum, quod sudores nunc inde prorumpant? Sudant ob eandem rationem, ut l. c. indicatum est, qui insultu corripuntur epileptico. Qui si noctu incidat, et aeger sudore nunc diffluat; quem causa eiusmodi sudoris nocturni latere potest? Haec res adeo est manifesta, ut observationibus non indigeat. Hinc etiam ratio petenda, quare insomnia, *ppp*) quae sunt cum animi adfectu, iuxta vulgarem observationem, possint in vehementem aestum nos ciere, inque eiusmodi sudorem. Nemo enim negabit, quam plurimos animi adfectus, sanguinis circulum reddere celeriores. Eandemque saepius rationem ille sudor, ut diurnus, ita etiam nocturnus habet, qui in iis deprehenditur, qui vehementi tussi anguntur. Quis enim nescit, quanta sit sub hoc statu corporis concussio, quantumque sanguinis motus inde augeatur necesse sit? Sed progrediamur ad ipsas febres motusque febriles. Fac iterum, hos ita se habere, ut producant sudores; temporeque nocturno homines infestare, vel saltem ad dictum usque tempus protrahi: eritne mirandum, si sudores inde oboriantur nocturni? Neque haec res exemplis opus habet, cum neminem febrium intermittentium, catarrhalium, lentarum ac hecticarum, plurimumque specimina latere possint. Et si quis dubitet praesertim de nostro asserto intuitu febrium lentarum atque hecticarum, ille, quaeso, consideret, omnia in his febribus detentis vespertino tempore in primis exasperari, cum morem eae non tantum sequantur febrium continuarum consuetum, sed ob eam etiam, quae hic accedit, rationem, quod in eiusmodi subiectis assumptorum coctiones difficillime perficiuntur, quae iam in sanissimis hominibus motus hoc tempore febriles excitare valent; eiusmodi etiam aegros, teste experientia, cutim plerumque habere siccam atque rigidam; quae ideo non concedit, ut, ad nutum quorundam Medicorum, vnicum nodum hic in perpetua debilitate cutis morbosa quaeramus; neque in sola acrimo-



monia causam quaerendam esse, cum horum nonnulli, licet quoque se extra lectum habeant, sudoribus diffniant, nec tamen interdum sudent; atque tandem, quae ipsam febrem in fugam agunt, vel saltem imminuunt, vno tempore etiam in hoc casu sudoribus obstare. — Huius igitur loci ille etiam erit sudor nocturnus, quem, non sine febris iudicio, in scorbuticis occurrere SENNERTVS <sup>qqq</sup>) monuit. *Accidit, inquit, etiam interdum calor praeternaturalis, febrim abstergens, qui nocturno tempore plerumque inuadit, sine ullo horrore, frigore vel rigore, duratque usque ad tempus matutinum, et plerumque sudore superueniente discutitur.* — Et tandem procul dubio isti sudores nocturni huc pertinent, quos *Celeberr. Viris* RÖEDERERO atque WAGLERO, <sup>rrr</sup>) in singulari quondam morbo, mucosi nomine ab ipsis insignito, animaduertere contigit. Fuerat ille morbus Dysenteriam secutus epidemicam, <sup>sss</sup>) ipsique analogam induerat naturam, <sup>ttt</sup>) nisi quod in eo noua vermium species sit detecta, trichuridum nomine a nostris Autoribus vocata, <sup>uuu</sup>) obseruata simul vberiore in cunctis folliculis mucis secretionem, variis vero ex causis tunc temporis in canalem alimentarem prae reliquis congesti; <sup>xxx</sup>) qua de re etiam morbo nomen venisse, omni iure suspicari licet. In prima morbi specie, *chronica dicta, yyy*) et vel nullis febris cuiusdam notabilis vestigiis coniuncta, vel variis febriculis, praesente *leuiori febricularum specie, zzz*) somnum leuem et blandum non turbatum, *leuissima praecessit horripilatio, quam sub somno per totam noctem leuis mador secutus est; quo facto multo mane sponte expergefactis cum agrypnia sudor erupit placidus, reficiens.* Neque vnquam in hac morbi specie, <sup>aaaa</sup>) quoties materia morbifica febriculis vterius excocta fuit, isti sudores cum vrina hypostatica desiderati sunt. Et in secunda morbi specie, *acuta*, benigna quidem, <sup>bbbb</sup>) singulae exacerbationes, maxime die declinante vel ipso vesperi inciderunt; sequebatur per noctem aestus validus, frigi

<sup>qqq</sup>) l. c. pag. 123.

<sup>sss</sup>) l. c. pag. 8.

<sup>xxx</sup>) l. c. pag. 32.

<sup>aaaa</sup>) l. c. pag. 48.

<sup>rrr</sup>) De Morbo Mucoso Liber singularis. Goetting.

<sup>ttt</sup>) l. c. pag. 19.

<sup>uuu</sup>) l. c. pag. 41.

<sup>yyy</sup>) l. c. pag. 38.

<sup>zzz</sup>) l. c. pag. 45.

<sup>bbbb</sup>) l. c. pag. 51.



gori praegresso saltem proportionatus, cum intensa siti et capitis dolore, potissimum syncipitis; et licet in plerisque aegris, iuniori morbo, sudores profusi raro obseruati sint, nocturni tamen et matutini, <sup>cccc</sup> termino vario, d. 9. 11. 14. 17. sub somno prorumpentes, acidum nonnunquam redolentes, si febris soluebatur per crisin, rarissime quidem completam, frequentia prae reliquis eminuerunt. Tantum etiam de febribus. Equidem vero non is sum, qui existimet, hosce sudores, quorum causam in febris accessione latere dixi, omni semper ex parte febris adscribi debere. Nequaquam! Ostendisse sufficit, febrim, cuius accessiones noctu occurrunt vel hucusque protrahuntur, absque respectu ad aliam concurrentem causam, sudores nocturnos prouocare posse.

§. XVIII.

Iam habes, *B. L.*, quae de causis sudorum nocturnorum proponenda esse duxi. Erunt quidem, ut facile praeuidere possum, qui dicant, me hanc illamue causam plane praeteriisse, cum non omnes, quas in Sectione priori indicassem, in hac posteriori, classibus causarum a me constitutis, omni saltem ex parte, subiici queant, ut aëris e. g. sunt qualitates aliaeque, quae absorptionem impediunt, cati irritatio &c.; sed, ne nimis subtilis esse videar, quin sicco eas pede transirem non dubitavi, cum huius praesertim sint indolis, ut non quilibet tantum facile cognoscat, eas, si noctu inciderint, quoniam in vniuersum sudores producere queunt, nocturnos etiam esse proritaturas, sed aliae etiam Medici curae ad abigendum vix vnquam committantur, in aliis autem exempla deficient, quae, illas eiusmodi sudores per se produxisse, satis valide demonstrant.

Quibus tandem perpauca adiungam, quae ad prognosin sudorum nocturnorum spectant, eorumque quidem, qui a causa morbosa proficiuntur. In explicando vero hoc loco in vniuersum HIPPOCRATIS lex, *Aph. I. 23.* stabilita, applicari potest; *quod scilicet, quae euacuantur, non sint aestimanda copia, sed si quae oportet vacuentur, et aeger facile ferat.* Non, quod illam omnino spectare non oporteat, sed putat HIPPOCRATES, et indolem materiae, num scilicet cruda coctae sit, respici debere, et copiam materiae non pondere, sed ea mensura, quae a viribus aegri desumitur, dimetiendam esse. Etenim hanc esse diui senis sententiam, facile intelligitur. Nam in aphorismo

proxi-



proxime praecedente, cuius veluti confectarium propositus est, crudi exterminationem in vniuersum damnat; in hoc ipso autem addit: *atque, ubi ad animi vsque deliquium educere conuenit, faciendum, si aegrotus par esse possit.* Deinde vero cetera, quae in omni sudore considerari debent, spectanda veniunt; qualia praecipue sunt: causae, symptomata concomitantia, leuamen aegri, diurnitas. Illi igitur sudores nocturni erunt laudandi, qui criticam euacuationem pro causa agnoscunt, et cum aegri leuamine contingunt; si praesertim isti in eiusmodi morbis occurrunt, qui sudoribus plerumque solui solent. Tenendum tamen, vel hosce saepe sudores de causa testari, quam Medicum abigere oportet, ne relicta ingrauescat, et incommoda sudorum nocturnorum permanent. Nam sudores nocturni vel sola diurnitate nociui euadere possunt; cum imprimis hominem vix somnum capere sinant. Patet quoque e praedictis, sudores nocturnos, qui febribus vere lentis accedunt, numquam vere criticos salubresque dici posse, siquidem laesae coctionis — febris ipsius, quam vix salutarem nominare possumus — interdumque inquinatae ab acri vixque summa cura emendandae humorum massae indices sunt. Equidem fateor, crudum iis expelli; poteritne vero id salutare dici, quod aegrum nullo modo leuat? quod laudabilem humorum simul iacturam infert? quod crudi copiam potius auget, quam minuit? Quod si igitur celeberrimi quidam Viri istos sudores interdum salutare esse pronunciarunt: hoc ita interpretandum esse existimo, vt de febribus, quae modo ad lentam sunt procliuēs, quarumque ergo causa sudoribus abigi potest, locuti sint. Etsi vero haec ita sunt; non existimo tamen, sudores febrium lentarum actutum fisti, repelli debere. — Quod ceterum sudores nocturni non semper phthisin febremque lentam annuncient, patet.


Hicce nunc huic tractationi finem impono, cui diutius immorari et temporis spatium prohibuit, et reliqui labores academici; eamque eruditi et beneuoli Lectoris disquisitioni submitto. Qui si meos comprobabit conatus, eosque aequi bonique faciet, id mihi erit calcaris instar, scriptioni huic de nouo aliquando manum admouere, eo potissimum consilio, vt addam, quae practicae Medicinae inferuant.

ULB Halle 3  
003 249 530



5b.







DE  
RATIONE ATQVE CAVSIS  
SVDORVM NOCTVRNORVM

ANNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO  
GRADV DOCTORIS  
LEGITIME IMPETRANDO  
D. XXIII. OCTOBR. MDCCLXXV.  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
IOANNES ANDREAS IACOBVS SAUR  
WERTHEMIO-FRANCVS.

HALAE  
TYPIS I. C. HENDELII.

5)